SAMUEL REYHER, JC. CODICIS & MATHEMM. PROF ORD. PAPINIANISTIS S.D

Samuel Reyher

Digitized by Google

Digitized by Google

SAMUEL REYHER,
JC. Codicis & Mathemm. Prof. Ord.

PAPINIANISTIS
S. D.

KILIÆ,
Typis Joach. Reumann, Acad. Typogr.
cIɔ Iɔc XCII.

AL
1093.18
1872
XX
REYH

Franc. Hotomani JC. in Anti - Triboniano cap. 1.

POſt Theologiæ ſtudium, & cognitionem Cultûs Divini, Legum diſciplinam utiliſſimam, & ad continendam hominum vitam maximè neceſſariam duco, nec Remp. magis ſubſiſtere ſine Legibus poſſe, quam corpus ſine anima.

Quod amplius eſt, concedo & fateor præterea, ſi ulla unquam Reſp. hâc arte & diſciplinâ felix fuit, eam eſſe Romanam: quippe quæ maximo numero produxerit magnos & egregios Juris Conſultos, eosq́; tantâ ingenii perſpicaciâ & ſubtilitate præditos, ut jure nobis imitandi videantur.

Digitized by Google

A Nnis abhinc novem, cum Reverendiſſimus atque Sereniſſimus Princeps ac Dominus, Dn. CHRISTIAN-ALBERTUS, Heres Norwagiæ, Poſtulatus Coadjutor Epiſcopatûs Lubecenſis, Dux Sleswigæ, Holſatiæ, Stormariæ ac Dithmarſiæ, Comes in Oldenborg & Delmenhorſt, Academiæ hujus ſuæ Rector Magnificentisſimus, Dominus meus clementiſſimus, mihi, poſtquam per annos X præcedentes extra ordinem Jura publicè docueram, Ordinariam Inſtitutionum Imperialium Profeſſionem demandasſet, NOVOS JUSTINIANOS peculiari Programmate invitavi, & eosdem à peſſimo Φιλαυτίας vitio, quo tantùm non omnes laborant ἀυτοδίδακτοι, fideliter dehortatus ſum, ſimulque ipſis Polymathiam, non quidem exactiſſimam, ſed ſufficientem tantùm ad elegantius Juris ſtudium variarum diſciplinarum cognitionem commendavi, exemplo JCti Germanorum celeberrimi, *Eberhardi Speckhanii*, in illuſtri Julia quondam Decretalium Profeſſoris, qui *Julii Pacii* orationem *de Juris Romani difficultate, ejusque cauſis & remediis*, conceptam initio hujus ſeculi auctam & locupletatam edidit: Cui meritò adjungi debet alius JCtus haud minùs celebris, *Heinricus* nempe *Gebhardus*, Cancellarius Rutheno-Geranus, qui in tractatu ſuo Philoſophico-Juridico prolixè *de Principiis*, nec non diſciplinis ad Jurisprudentiam neceſſariis agit.

Nunc, cum à laudatiſſimo & benigniſſimo meo Prin-

Principe ac Domino ad CODICIS IMPERIALIS Profeſſionem nuper ſim admotus, relictis Novis Juſtinianis ad PAPINIANISTAS, hoc eſt, ad illos, qui primo & ſecundo ſtudii juris anno tyrocinia ritè poſuerunt, & ad ulteriora tendunt, dirigo ſermonem, iisq; auctor ſum, ut adeò acuti ac ſolidè docti JC. cujus nomine ſuperbiunt, impigrè veſtigia premant. Vocantur enim Papinianiſtæ ab Excellentiſſimo Romanorum veterum JCto, PAPINIANO, *Quinti Cervidii Scævolæ* diſcipulo, qui Septimii Severi tempore, circa annum Chriſti CC, floruit, & ob incomparabilem non tantùm Juris peritiam, ſed conſtantem quoque & ſanctisſimum Juſtitiæ ac Æquitatis cultùm, quamplurimis in Jure ornatur encomiis.

Quanti Imperator noſter Juſtinianus hunc virum æſtimaverit, ex Conſtitutione ejus *de Ratione & Methodo Juris docendi ad Anteceſſores* patet, ubi ejus eruditionem & ingenii ſubtilitatem prolixè extollit, dum inter alià libros ab ipſo ſcriptos §. 4. recenſet: *Hos tres libros*, inquiens, *eum* acutisſimi Papiniani *lectione tradendos poſuimus, quorum volumina in tertio anno ſtudioſi recitabant, &c. Vobis autem* pulcherrimus Papinianus *non ſolùm ex* Reſponſis, *quæ* in decem & novem libros *compoſita fuerant, ſed etiam ex* libris ſeptem & triginta Quæſtionum, & gemino volumine Definitionum, *nec non* de Adulteriis, *& penè omni ejus expoſitione in omni noſtro-*

rum

rum Digeſtorum ordinatione præfulgens propriis partibus præclarus ſui recitationem præbebit.

Ne autem tertii anni auditores, quos Papinianiſtas *vocant, nomen & feſtivitatem ejus amittere videantur: ipſe iterum in tertium annum per belliſſimam machinationem introductus eſt. Librum enim Hypothecariæ ex primordiis plenum ejusdem maximi Papiniani fecimus lectione, ut & nomen ex eo habeant, & PAPINIANISTÆ vocentur, & ejus reminiſcentes & lætificentur, & feſtum diem, quem cum primum leges ejus accipiebant, celebrare ſolebant, peragant; & maneat* Viri ſublimiſſimi *præfectorii Papiniani, & per hoc in æternum memoria, hocque termino tertii anni doctrina concludatur.* Præterea audit Summi ingenii Vir, *l. 1. C. de Sentent. & interloc.* propter cujus ſplendidiſſimum honorem *Ulpianus, Paulus,* nec non *Marcianus* nullam vim obtinuerunt, *l. 1. §. 6. Cod. de Vet. Jur. enucl.* Vir Prudentiſſimus, *l. 14. C. de Præd. & aliis reb. min. l. 12. C. de Legat. l. 16. C. de Fideic.* Diſertiſſimus, *l. f. C. de Inſtit. & Subſtit.* Excelſi ingenii Vir, *l. 6. Cod. eod. & §. 7. Inſt. de Fideic. hered.* Conſultiſſimus, *l. 3. Cod. de Acquir. poſſ.* Acutiſſimi ingenii Vir, & meritò ante alios excellens, *l. 30. C. de Fideicomm.* Maximus, *Nov 4. c. 1.* Sapientiſſimus, *Nov. 108. pr. §. 2.* In Cod. Theod. *leg. un. de Reſponſis Prudent.* ſtatuitur, ut in opinionum diverſitate ea quidem pars vincat


cat

Digitized by Google

cat, ubi numerus autorum major eſt; ubi verò æqualis numerus eſt, ejus parti autoritas accedat, in qua *Papinianus* emineat. Eum enim ſingulos vincere, quamvis duobus cedat. Juris aſylum & doctrinæ legalis theſaurus *à Spartiano in Severo* vocatur. Plura videantur in explicatione *Tit. ff. de Orig. Jur. cap. 51.* Georgii Eberlini. *pag. 459. & ſeqq.* Optimo autem jure tot ac tanta elogia Papiniano tributa fuiſſe, abundè probant leges æquiſſimæ ab ipſo relictæ: inter quas eminet *l. 15. ff. de Condit. inſtit.* Ubi aurea & divina hæc leguntur verba: *Quæ facta lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam, & (ut generaliter dixerim) contra bonos mores fiunt, nec facere nos poſſe credendum eſt.*

Licet autem hic Vir ſapientiſſimus, juſtisſimus & innocentisſimus fuerit, ac propter candorem & ſingularem ſolertiam à Severo Imperatore ſublimiſſimâ præfecturâ Prætorianâ decoratus ſit, ipſique ambo filii à Severo morituro commendati eſſent, tragicum tamen exitum minimè evitare potuit. Antoninus Caracalla enim natu major cum Getam fratrem natu minorem interfeciſſet, Papinianus autem parricidium excuſare recuſaſſet, ac liberâ hâc voce uſus eſſet: *Parricidium facilius perpetrari, quàm defendi poſſe*, militum gladiis objectus, ſecurique percuſſus eſt, & quidem anno ætatis XXXVI, uti ex urnæ argenteæ, à Ruſtico quodam Romæ inventæ, patet inſcriptione, quam una cum ipſius urnæ figura ex inſcriptionibus variis, à *Petro Apiano*, Mathematico Ingolſtadienſi, & *Bartholomæo Amentio*, Poëta, ex

ex toto fermè Terrarum orbe collectis, & *Raymundo Fuggero* anno 1534. dedicatis, hîc exhibeo:



Papinianiſtas ſequebantur *λύται*, qui quarto anno *juxta* §5. *alleg. Conſtit. de Methodo Jur. ad Anteceſſ.* quartam & quintam partes (ſive libros ſeptendecim) Digeſtorum à XX ad XXXVII. librum incluſivè legebant, & juxta Gothofredum à ſolvendo ſic dicebantur, quod jam per ſe & ex ſe ipſis Legum nodos & ænigmata ſolvere poſſent. Italorum hinc *Licentiatos*, quaſi dimiſſos, originem duxiſſe, aliqui putant. Accurſius in Gloſſa *Ircos* vel *Hircos*, quaſi ſubtiliter videntes, dictos ſomniat.

Quinto anno *προλύται* appellabantur, quaſi *τῶν λυτῶν* an-

anteceſſores, *juxta Gothofr. in not. ad Gloſſ.* Ineptè *Loritas* vel *Coloritas* vocat Accurſius in Gloſſa, de quibus Albericus de Roſate *in Dictionario Juris* ita ſcribit: *Loritæ ſunt Scholares Juris ſtudentes in quinto anno.* His demum Codicem Conſtitutionum Imperialium legere permiſſum erat antiquitus, unde aliquis de mea intentione ſiniſtrè judicandi anſam arripere poſſet, quaſi ad Codicis lectiones, Prolytis deſtinatas, invitaverim Papinianiſtas. Verùm qui antiquam Jura docendi methodum hodiè in deſvetudinem abiiſſe, & nunc longè aliâ ratione Jura proponi ſolere, conſideraverit, dubio procul meliùs de me ſentiet. Quid? quod ipſe Juſtinianus novos ſuos Juſtinianos, quos antiqui JC. frivolâ voce *Dupondios*, alii *Bealnos*, quaſi *Biulnos*, nominabant, ad Conſtitutiones ut admitteret, omnibus Juris Voluminibus Conſtitutionum Principalium valorem & vim conceſſit. Ut autem noſtris conſtet Auditoribus, quâ methodo uſuri ſimus, paucis illa exponenda erit: Primùm igitur breviſſimam Juris noſtri, & præcipuè Codicum, hiſtoriolam proœmii loco præmittam, quâ finitâ non Codicem Integrum, quippe vix aliquot annis abſolvendum, ſed conſultiſſimi *Brunnemanni* præcipuarũ *Codicis Legum Memoriale* explicabo, & quæſtionibus, ab auctore adornatis, alias interdum tàm jucundas, quàm utiles adjungam, minimè interim diſputationes Struvianas, ſuperiori anno cœptas, neglecturus. Privata quoq; Juris collegia, aut publica diſputationum exercitia deſiderantibus ſatisfacere haud intermittam. Datum Kiliæ Holſatorum a. d. XVII. Klendas Novembres, Dominicâ XXI. poſt Trinitatis. Anni à Nat. Chr. cIↄ Iↄc XCII. Juliani.

Z
1093,18
99 959767

Digitized by Google